

idem probabile volunt esse , non certum :

Hæc si tu postulas

*Ratione certa facere , nihil plus agas ,
Quam si des operam , ut cum ratione insiniant .*

Ergo Mysterium tententia Pontificis finiatur oportet , ut Ecclesiam vexare aliquando desistant , qui se filios ejusdem , ac fortissimos vindices profidentur .

Nunc , argumenti vitio patefacto , singulas ejus propositiones more nostro expendamus . *Definitio aliquius propositionis ex cathedra reddit contrariam erroneam , & falsam .* Etiam hæreticam debuisset adjungere . Est enim hæretica propositio , quæ cum Catholica veritate pugnat . Quod autem pertinet ad religionem , idemque ex cathedra definitur , Catholica veritas est . Pontifex enim , quod erat antea per se verum , nec tamen populo Christiano exploratum , finiendo declarat id esse verum , nitique Dei testimonio , qui revelavit . Quod autem Deus , Vicario ejus docente , revelavit , Catholica veritas est . Erit igitur non modo falsa , & erronea , sed etiam per se hæretica propositio , quæ ab homine Christiano enuntiata definitioni adversatur . Continet enim summum gradum erroris in re pertinente ad religionem . Quippe negat id esse verum , quod Ecclesiæ est patefactum a Deo , qui nec fallere , nec falli potest . Dixi per se , ut nominis controversiam declinarem . Nam cum hæretica propositio est flagitiosa , ad enuntiantis ingenium , conditionem , doctrinam , & culpam refertur ; eumque designat , qui vel illa affirmando pertinax est , vel ignorantiam veritatis affectat , nec paratus est , cum ab Ecclesia corrigetur , errorem suum ipse corrigeret .

Dicet aliquis : Non omnis Ecclesiæ definitio eodem loco habenda est , nec judiciorum Pontificis idem est gradus . Non enim solum quis de qua re judicium ferat , animadvertemendum est , sed quæ verborum proprietas , & pondus . Itaque ut Pontificis definitio sit Catholica veritas , constare debet hujusmodi verbis , quibus tamquam notis internosci